

Aquibus *non heri aut nuper*; sed jam inde ab infantia divinas fuit edoctus literas. Timotheus ergo non demum tempore adolescentiæ suæ: sed cum adhuc parvulus seu puerulus fuit, in exercitiis pietatis cœpit informari. Nondum igitur Piscator tertiam τῆ βρέφους acceptionem firmiter probavit: qua de re alibi.

8. Jam enim statim progrediar ad explicationem *Prædicati*, seu consequentis in Quæstione proposita partis, quæ sunt *peccata actualia*: Eaque sumuntur potissimum bifariam. 1. *Latius & generalius* pro quibusque *actibus & motibus ἀνόμοις & peccabilibus*, nondum conjunctis cum pleno rationis usu, cum τῶ ἐκκοίῳ καὶ παρορέσει. Falsissima enim est hypothesis Zwinglii, Papistarum, & Photinianorum, *quod nihil habeat rationem peccati, nisi committatur à sciente & volente*: Seu, ut tradit Augustinus lib. de vera religion. c. 14. quod omne peccatum usque adeo voluntarium sit malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Unde Augustin. lib. 6. contra Julian. Pelag. c. 10. approbat Pelagii effatum, *sine opere liberi arbitrii nullum hominis esse posse peccatum*. Falsitatem autem hujus opinionis ostendit vel *Paulus*. Rom. 7. v. 7. 15. &c. & *I. Tim.* 1. v. 13. *Johannes* 1. epist. c. 3. v. 4. *Moyse*, agens de sacrificiis, pro peccatis, *per ignorantiam*, commissis, Levit. 4. v. 1. &c. & *absconditum* nostrum peccatum asserens, Psal. 90. v. 8. & *David* Psalm. 19. v. 13. Hinc vel ipse Augustinus Lib. 1. Retractat. c. 13. fatetur, se nec recte, nec commode locutum esse. 2. *Pressius & specialius* pro actionibus & operationibus, cum rationis usu, præelectioneque & assensu connexis.

9. Quibus præmissis, duo adjungam Theoremata, eisque explicatis & comprobatis, quæstionem propositam explicabo & comprobabo. Primum Theorema sit tale: *In infantes, sive adhuc in utero matrum latentes, sive natos, & lac maternum sugentes, verè & propriè dicta cadunt peccata actualia, in primâ significatione accepta*. Id quod probo his argumentis.

10. I. Peto *ab operosa peccati originalis qualitate*, & ita argumentor: In quibus hominibus est peccatum originale, in illis etiam *ad minimum* sunt peccata actualia, *late dicta*, hoc est, motiones pravæ, nondum ab usu rationis profectæ, nec cum eo connexæ. At in omnibus & singulis hominibus (excepto solo Θεωφώπῳ Christo, non virgine Mariâ, vel ullo alio homine) est peccatum originale. E.

II. *Propositio* probatur; Quia peccatum originis non est otiosa qualitas, nec fomes ἀεργός, & torpidus, sed malum operosum, venenum vividum: seu fons pessimus, unde mali fluunt rivuli. Quando igitur peccatum originis

nis